



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

III. Markgraf Johann bestätigt der Stadt Prenzlau nach deren Uebergange unter seine Herrschaft ihre Besitzungen und Rechte, am 18. Januar 1251.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

III. Markgraf Johann bestätigt der Stadt Prenzlau nach deren Uebergange unter seine Herrschaft ihre Besitzungen und Rechte, am 18. Januar 1251.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Johannes, Dei gratia Brandenburgensis Marchio, omnibus in perpetuum. Acta presentis temporis deperire solent in futurum, nisi firmentur Subsidio literarum. Etenim cum ex resignatione dilecti consanguinei ac fidelis nostri, Domini Barnimi, illustris Sclauorum Ducis, ciuitas Prinzlau, que ab ipso fundata fuit, nostre nunc dicioni subiecta noscatur, nostra interest, eiusdem ciuitatis utilitatibus ac commodis omni sollicitudine prouidere. Harum ergo inspectione propensius elucescat tam presentis, quam futuri temporis hominibus vniuersis, quod nos supra dicte ciuitati nostre Prinzlau, postquam ad nos peruenit, assignauimus Ducentos et Quinquaginta mansos, Ducentos ex vna parte aque, que Vkeram uocatur, in illa uidelicet, in qua ciuitas est constructa, et trans Vkeram quinquaginta, eo tamen pacto, ut de mansis eisdem, eandem in festo beati Martini soluant ex integro anni pensionem, quam antea soluere consueuerunt, que de quolibet manso dimidius ferto fuit. Addimus insuper preter agros cultui aptos, loca quoque palustria, ciuitati uicina, et hec ad pascua deputamus, Item idem ius, Magdeburgense uidelicet, quod dicte ciues ciuitatis hactenus habuisse noscuntur, ipsis etiam in antea indulgemus. Eandem etiam habebunt in totius terre nostre districtu thelonei libertatem, quam habent illi de Brandenburg et de Berlin aliarumque nostrarum communio ciuitatum. Ad hec omnia nunc de nouo utilitatj eiusdem adicimus ciuitatis, ut Theatrum et quecunque in ipso edificanda duxerint, in usum ac commodum ciuitatis ipsius redigant et conuertant. Similiter et stagnum adiacens, quod Vkerse uocatur integrum, et medietatem stagni, quod Meln dicitur, ad emendationem donauimus ciuitatis. Ligna quoque suis necessitatibus oportuna Secare licenter et afferre poterunt ubicunque in partibus illis attingere ea possunt. Vt autem hec premissa fixa perpetuo maneant atque firma, presentem paginam super eo conscriptam sigilli nostri appensione duximus muniendam. Presentibus fidelibus nostris Gerardo de Kercow, Friderico de Bertecow, Alberno Marscalco, Heinrico Pincerna, Heinrico Aduocato de Stolp, Heinrico de Stegelitz, Johanne de Benitz, Borchardo de Gnewkow, et aliis quam pluribus militibus atque seruis. Datum per manum Johannis Plebani de Stolp, nostri tunc Notarij, Anno M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LI. Indictione IX. XV. Kal. Februarij.

Nach Beckmann's Abschrift des Originals. Diese Urkunde ist nach den bisherigen Abdrücken immer dem Jahre 1252 zugeschrieben worden.

IV. Bischof Hermann genehmigt die dem Convent der büßenden Schwestern zu Prenzlau am 7. März 1250 vom Herzog Barnim gemachte Schenkung, im Dezember 1251.

Hermannus, Dei gratia Caminensis ecclesie electus, Omnibus presentem paginam inspecturis salutem in eo qui neminem vult perire. Ad hoc Deus et Dominus noster in ecclesia